

40

DISPUTATIO  
PHILOSOPHICA

PARTIM PHYSI-  
CA, PARTIM LOGICA, IN QU  
UTRIUSQUE DISCIPLINÆ NA-  
tura proponitur & accuratè enu-  
cleatur:


*Ad quam,*

DEO O. M. auxiliante,

SUB T R A S I D I O

CLARISSIMI AC DOCTISSIMI VI-  
RI, DN. M. HENRICI GUTBERLETHI, IN IL-  
lustri Scholâ Nasovicâ Herbornensi Professoris ordina-  
rii, præceptoris multis modis ac nominibus colendi,  
Philosophiæ studiosis publicè exercitii gra-  
tiâ respondebit

JODOCUS-HENRICUS PISTOR,  
Herbornensis Nasovicus.



Ex officina typographica Christophori Corvini.

MDCIX.

PIETATE, ERUDITIONE, MUL-  
TARUMQUE RERUM USU PRÆ-  
STANTISSIMO VIRO, DN. GEORGIO  
Newendorff/fautori ac domino suo reverenter observando:

N E C N O N

REVERENDIS, DOCTISSIMIS AC PRU-  
DENTISSIMIS VIRIS,

- DN. JOHANNI MAURO, quæstori Braunfel-  
fensi, }  
DN. M. PHILIPPO MAURO, Secretario Greif- } fratribus  
steinensi, } germanis,  
DN. HENRICO MAURO, Pastori Niderdor- } consobrinis  
felsen. } suis.
- DN. JACOBO Behru/Prætori Herborensium.  
DN. PHILIPPO EMMERICO ITTERO, causarum pa-  
trono apud Herborenses solertissimo.  
DN. JOHANNI CORFFIO, Ecclesiæ Mehrnensis Pastori vi-  
gilantissimo, sororio charissimo.  
DN. JODOCO Beckert/pro tempore Reipubl. Herborensis  
Consuli, patri suo debitâ observantiâ honorando:

Hæc theses Philosophicas inscribit & offert.

Jodocus-Henricus Pistor  
Respondens.



DISPUTATIO,

QUID PHYSICA; QUOD E-  
JUS SUBJECTUM OCCUPANS, ET  
QUID NATURA, EX SCHOLA  
PERIPATETICORUM.

T H E S I S I.

**Q**Uum inter tot nobilissimas quaestiones, nobis ea placuerit, quae olim ab Aristotelis interpretibus, & hodie quoque, à recentioribus multifariam disceptatur, De subjecto Physices: non omnino frustraneam operam me impendere spero, si quid de ea statuendum, brevibus, & quantum disputationis ratio fert, expediam.

2 Ut autem illud convenienter & appositè fiat, ab ipsa Physica definitione in-  
nitium ducemus. Cum enim constet scientiam esse, & scientia sit habitus, habitus verò  
definiatur sine & objecto, ut autor est Arist. lib. 2. Et hic. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. Physica  
definitionem ita instituemus, ut cum genere finem & objectum ponamus, nempe hoc  
modo: Physica est scientia contemplandi corpus naturale, quatenus tale.

3 Primum videamus definitionem nominis, deinde rei. Dicitur Physica à græcâ  
voce φύσις, quæ propriè significat generationem rerum nascentiarum; sic φύσις  
γάλακτος, generatio lactis dicitur Aristoteli in Politicis. Deinde notat naturam rei,  
videlicet essentiam corporis naturalis, quæ ratione motus & quietis, hoc est, ratione  
operationis, & inde nascentis perfectionis ἀπὸ τῆς αἰτίας Aristoteli dicitur.

4 Sunt alia plures significationes vocabuli φύσις, quas omnes hic recensere  
nihil attinet. Satis est scire in hoc loco, naturam esse nihil aliud, quàm, ut diximus,  
internum principium naturalium facultatum & actionum in substantiis physicis,  
ut infra dicitur plenius.

5 Ad rei definitionem quod attinet, primò considerandum venit genus, quod vo-  
ce scientiæ indicatur. Optimè autem hoc genus huic disciplinæ convenit. Nulla enim  
alia est utilitas ejus, quàm ut nobis exhibeat θεωρίαν, id est, contemplationem earum  
rerum sive substantiarum, quæ ἐκ τῆς φύσεως materiae & formæ substantialis consi-  
derantur, cujusmodi sunt quæ physica nuncupantur, quarum principia indeque, na-  
ta affectiones, ut facultates & operationes, hic studiosè investigantur & subtilius  
exquiruntur.

6 Atq; hujusmodi contemplationis habitum Aristoteles lib. 6. Ethic. ἐπιστήμη vocat, latine scientia dicitur, habitus scilicet intellectualis τοῦ δεικνύοντος, quo necessaria conclusiones per suas causas demonstrantur, percipiuntur, & cognoscuntur. Scire enim est rem per causam suam cognoscere, ut docet Aristoteles lib. 1. phys. auscul. cap. 1. In disciplina physica res naturales demonstrantur & cognoscuntur per suas causas. Recte igitur disciplina physica scientia appellatur. At, inquis, Physica est rerum caducarum, non aternarum. Scientia vero est earum rerum, quae aeternae sunt. Resp. Physica est rerum caducarum, quoad existentiam, quae est singularium, est aternarum, hoc est, perpetuarum, quoad essentiam in predicando. Rosa non semper existit, semper vero est planta. Distinguendum est igitur inter aeternitatem rerum & propositionum.

7 Quum igitur constet, Physicam scientiam esse, simul constat sinem ejus non esse πρᾶξις, multo minus πῶς εἶναι, sed θεωρεῖν. Non enim docet sateri e corpus naturale, sed corporis jam facti naturam inquirere & speculari.

8 Porro, quum scientia naturalis una sit, nec ex ordinatā aliquā compage variarum scientiarum sit conflata, unitas vero scientiae sumatur ex unitate subjecti occupantis, unum totius philosophiae naturalis subjectum adequatum constitui oportet.

9 Quodnam illud sit, vehementer ut olim inter Arist. inter preces disceptatum fuit, ita etiamnum hodie disceptatur.

10 Ex antiquis primus nobis sese offert Thomas Aquinas, qui in proemio physicorum disputat, subjectum Physicae esse ens mobile.

11 Nimirum vidit Thomas, principia & accidentia, quorum potissima in hac scientia ratio est, non esse corpora, ideoq; generaliore appellatione uti voluit, & loco corporis reposuit ens. Sed ratio haec nobis non videtur satis firma, quum notum sit, de principis & accidentibus in Physicis agi, quatenus ad corpus naturale spectant, eiq; insunt. Sublato enim corpore naturali, principiorum & accidentium illorum ne mentio quidem superest. Quum igitur de principis & affectionibus in Physica agatur propter corpus naturale, manifestum hinc est, corpus naturale verum & reciprocum ejus objectum esse.

12 Instat Aquinas: Subjectum alicujus scientiae debet esse praecognitum; Corpus naturale in Physica non est praecognitum. Ergo corpus naturale non est subjectum Physicae. Assump. probat. ex lib. 6. Phys. Aristotelis, ubi dicit, philosophum probare omne κίνητον esse corpus: Respondemus, esse errorem, ex verbis philosophi haud recte intellectis. In loco enim citato agit philosophus de motus divisibilitate, non docet mobile esse corpus. Franciscus Piccolhomineus philosophus Patavinus in introduct. ad scient. de naturā cap. 26. διὰ τὸ πᾶν λέω affirmat, Thomam Aquinatem per ens mobile intellexisse cor-

xiffe corpus mobile, ac proinde in verbis duntaxat pugnam esse, quæ sententia nobis non usq; aded improbat.

13 Alii qui sunt de schola Scoti, Physica subjectum adstruunt substantiam naturalem, & substantiæ nomine, tum corpora inferiora, & mixta, tum caelestia & simplicia comprehendunt.

14 Qui sequuntur Albertum M, Physica subjectum statuunt, Corpus mobile; quam sententiam facile admittimus, si  $\tau\delta$  mobile idem sit quod naturale, sive quod in se habet principium motus. Si verò per  $\tau\delta$  mobile, intelligatur passio, non admittimus, quia, ut habet Canon Metaphysicus, Passio subjecti non potest esse ratio entis formalis: seu, Nullum accidens potest habere rationem formæ.

15 Alii deniq; statuunt, corpus naturale, quia ejus partes & causæ in scientia naturali considerantur. Atq; hi sanè verissimam sententiam tuentur, in quam plurimi hac atate conspirasse videntur, nimirum subjectum Physices esse corpus universè sumptum, quatenus naturale, quod & caelestia & inferiora omnia cõplectatur. Dico, quatenus naturale, hoc est, quatenus habet in seipso naturam, quæ motus principium definitur.

16 Ceterum hanc postremam sententiam veram esse ex iis, quæ in scientia alicujus subjecto requiruntur, satis constat. Subjectum enim duabus constare debet partibus, teste Zabarella 1. de natura Logica, & lib. de tribus præcognitis: Re consideratâ, & considerandi modo, id quod hic etiam videre est. Nam res considerata est corpus, modus considerandi, sub voce naturale indicatur.

17 Præter has partes insuper certæ subjecti conditiones necessariae sunt, quarum prima est, ut sit præcognitum. 2. Ut habeat principia & accidentia demonstranda. 3. Ut toti scientia sit adequatum, hoc est, neq; latius neq; angustius. 4. Ut sit basis & fundamentum omnium eorum, quæ in scientia tractantur. Videatur Arist. in post. analyt. & Zabarella in lib. de tribus præcognitis. Atq; hæ conditiones omnes, quæ corpori naturali competant, optimo jure id physica scientiæ subjectum statuumus.

18 Jam verò unicum adhuc superest, nempe, quid sit, quod Physicus in hoc loco vocat corpus naturale. Id plenius intelligere non possumus nisi ex natura definitione, quæ exstat apud Aristotelem lib. 2. phys. auscult. cap. 1. Natura est principium & causa motus & quietis ejus, in quo inest primò & per se, & non secundum accidens.

19 Hic recurrendum est ad doctrinam de principiis corporis naturalis, ubi traditur, principia propriè & per se sic dicta, esse materiam & formam, ex quibus corpus naturale tanquam totum  $\sigma\upsilon\upsilon\omicron\lambda\omicron\nu$  & compositum constituitur, & unde natura in

corpore naturali est. *Materia* est *ἀνάγκη* requiritur, ut forma existere possit; Forma vero ut materiam aetuet & determinet, hoc est faciat ut actu sit, quod antea potestate erat, videlicet τὸ δέν, hoc aliquid, id est, aliquid quod est in certo genere entis.

20 At, inquis, quum materia & forma sint principia corporis naturalis, quo sensu natura principium dicitur? Respondetur, id fieri propter motum & quietem. Ut enim materia & forma rerum naturalium sunt principia essendi, ut docet Arist. lib. 1. phys. auscult. ita natura est principium cognoscendi, quod idem philosophus docere vult lib. 2. phys. auscult. Quare quum natura dicitur principium, dicitur materia & forma, non ratione constitutionis corporis naturalis, sed ratione facultatis & operationis in corpore naturali.

21 Ideo Aristoteles vocat principium motus, τὸ κινεῖν, qua voce indicatur ἐπιπέσεια movendi, non solum autem ἐπιπέσεια, sed etiam δυνάμις ἢ ὄντι δεικνύς, qua corpus naturale ad movendi actum est habile & aptum, unde natura dicitur principium & activum & passivum. Sic in magnete non solum ipsa ferri attractio, sed etiam δυνάμις attrahendi est à natura magnetis, tanquam ab interno principio. Idem iudica de facultatibus & inde sequentibus actionibus metallorum, lapidum, plantarum & animalium, nec non de influentiis stellarum.

22 Atque hic quæri solet: An natura sit principium passivum respectu materia? Maxima pars Peripateticorum affirmat, Zabarella negat, cui nos astipulamur. Materia enim in sua natura est indeterminata, ac proinde ad utrumque oppositorum aequè propendet, ideoque ad certum motum propensionem largiri non potest. Hoc igitur munus solius formæ est, quatenus illa in materia est, illamque actuat. Unde enim est actus, inde quoque sunt facultates.

23 Ignis & Terra habent eandem communem materiam. Jam si à materia esset principium passivum, ignis etiam haberet propensionem ad motum descensionis, terra ad motum ascensionis, & hac ratione motus, qui dicitur violentus, etiam esset respectu materia naturalis. Videatur Zabarella lib. de nat. cap. 6. & 7. & lib. de nat. cali cap. ult. Quare statuendum est, naturam esse principium motus activum & passivum ratione formæ.

24 Non solum autem motus, sed etiã quietis principium natura dicitur. Ergo, inquit aliquis, natura est oppositorum? Quod illud igitur tritum: ἢ φύσις ἐν ᾧ ἐστὶν ἡ ἡσυχία; Aristoteles lib. 8. Phys. Respondetur. Motus & quies non sunt hic opposita, sed sese habent ut causa & effectus; nec per quietem hic præcipue intelligitur ἀκίνησις, sed τὸ ἐκείνου illa qua à motu est. Quod autem est causa causa, est etiam causa causati. Sic natura in semine non solum est principium generationis, sed etiam hoc efficit, ut post genera-

generationem res generata perfecta existat. Sic quod res in loco suo naturali quiescit, id à natura est, non à principio aliquo externo.

25 Nec est quod quis hic movendi vel agendi verbo offendatur, quasi Nature tribuamus quod Dei est. Naturam enim non facimus simpliciter primum movens, quod est infinita virtutis, teste Arist. lib. 8. Phys. sed secundum movens, quod totum à nutu primi moventis dependet, indeq; ut essentiam, ita & virtutem movendi possidet. Nec tamen hinc colligendum est, secundum movens nullum motum excitare posse, nisi primum movens actu & *ὡς ἰσὸς* tanquam pars ei insit, atq; ita per seipsum immediatè in eo operetur, sed sufficit, quod primum movens vim movendi, quam secundo moventi communicavit, ut & ipsam motionem conservat, dirigit & gubernat. Sunt enim distincta actiones, Dei ut causa prima, & Natura ut causa secunda. Quod ignis urit, habet à Deo, & Deus urendi vim in igne conservat; sed Deus ipse non urit in igne. Per Deum movemur, Actor. 17. v. 28. dum nimirum Deus motum, quem nobis largitus est, in nobis sustentat & regit, interim Deus in nobis non movetur. Sic nostrum *εἶναι* est & conservatur à Deo, nec tamen est ipsius Dei *εἶναι*; unde apparet actionem causa prima longè dignius & efficacius concurrere ad quemvis effectum quam secunda. Quare ut primum movens, nempe Deus, agit à se ipso, ita secundum movens, cujusmodi est Natura, agit à primo movente; unde liquet, quo sensu admitti possit illud Aristotelis, Natura nihil facit frustra: Et licet quedam natura non sint entia rationalia, ut Sol, tamen propter finem agunt, qui intelligitur & intenditur à superiore intelligente causa. Sic equus non frustra trahit aratrum, licet ipse finem non intelligat, quia satis est agricolam intelligere.

26 Est ergo natura principium motus & quietis. Sed queris ulterius de subjecto istius motus & quietis? Respondet Aristoteles: ejus in quo inest, nimirum, intelligit corpus naturale in quo natura est, ut forma in suo formato. Hinc etiam apparet, per motum intelligi eum qui à Philosophis dicitur immanens, per quem res naturales distinguuntur ab artificialibus. Natura enim agit per emanationem, ars verò per transmutationem, ideoq; artis effectum dici solet transiens. Sic excitat à *δυνάμει* *πλαστικῇ*, qua latet in semine, sit generatio, cujus internum principium est natura, à qua generatio promanat. Semen igitur est id, in quo inest principium generationis. Nec est existimandum, in preparatione seminis ad generationem v. gr. equi, Deum immediatè producere formam equi, eamq; immittere. Est enim forma bestia ut & planta ex traduce, & in generationis univoce actu è potentia seminis, in quo Deus *δυνάμει* *πλαστικῇ* conservat & regit, educitur.

27 Addit Aristoteles primò *πρῶτος*, seu immediatè, quia in corpore naturali nihil est prius à quo motus ille fit, quam ipsa natura. Deinde voce primò excludun-

tur accidentia, qua etiam principia dici possunt, sed non  $\alpha\pi\acute{o}\tau\omega\varsigma$ , utpote qua aliquid se prius habent à quo sunt: V. gr. principium calefaciendi est calor ignis, sed non  $\alpha\pi\acute{o}\tau\omega\varsigma$ , quia adhuc est altius principium, nempe natura ignis, calor verò instar instrumenti sese habet. Qualitates enim, ut scitè quidam dixit, sunt formarum arma & instrumenta. Unde deducimus hanc conclusionem; Nullum accidens potest esse naturâ.

28 Deniq; sequuntur hæc verba: per se, & non secundum accidens, ut mirum Philosophus ab hac definitione excludat formas artificiales, quæ per accidens sunt principia motus interni. Sic quoddam statua aenea fertur deorsum, non fit quia statua est, sed quia aenea est. Natura enim æris est à loco violento deorsum ferri. Comperit igitur ille motus statuae non  $\alpha\pi\acute{o}\tau\omega\varsigma$ , sed  $\delta\epsilon\upsilon\tau\acute{\epsilon}\rho\omega\varsigma$ , non  $\kappa\alpha\theta' \alpha\upsilon\tau\acute{o}$ , sed  $\kappa\alpha\tau' \sigma\upsilon\mu\beta\acute{\epsilon}\theta\eta\kappa\acute{o}\varsigma$ , quia accidit illi statuae aeneum esse.

29 Atq; ita putamus satis clarum esse, quid corpus naturale sit, & quoddam hoc sit adequatum subiectum physicae scientia: Nimirum corpus naturale, est corpus quod habet naturam, hoc est, quod constat ex materia & forma substantiali, ac proinde in sese habet principium motus & quietis; & quia hoc principium in sese habet, constat intelligi motum immanentem, non transeuntem, & sic naturale distingui ab eo quod per artem est.



## PROBLEMATÀ, QUIBUS ARTIS DIALECTICAE NATURA PLENÈ & PERSPICUÈ DECLARATUR.

### I. An ars rationis rectè appelletur Dialectica? Aff.

Sunt quibus appellatio hæc minùs placet propter ambiguitatem. Peripatetici enim hæc voce eam Logicæ artis partem intelligunt, quæ disputat  $\epsilon\kappa \tau\eta\varsigma \epsilon\upsilon\delta\acute{\alpha}\xi\omega\upsilon$  ex probabilitibus. Unde syllogismi Dialectici illis dicuntur, quorum media ex probabilitibus desumpta sunt, & in utramq; partem disputari possunt. Deinde ipsius vocis origo totam hujus artis naturam exprimere non videtur.  $\Delta\iota\alpha\lambda\epsilon\gamma\epsilon\iota\varsigma$  enim colloqui est, colloqui autem non est hujus artis scopus. Scientia autem & artes à finibus & objectis denominari debent. Respondemus, verum quidem esse, vocem Dialecticæ apud Aristotelem  $\delta\upsilon\chi \delta\mu\acute{o}\iota\omega\varsigma \lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\iota\varsigma$ , sed cùm inter alia etiam universum differendi artificium significet, ut apud Platonem in Cratyllo, in Phædro, & in Sophistâ, citante Rod. Gocl. part. 1. problem. log. 1. deinde etiam apud ipsum Aristotelem lib. 1. Rhet. cap. 1. ubi ait,  $\alpha\epsilon\iota \delta\epsilon \sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\acute{\alpha} \delta\mu\acute{o}\iota\omega\varsigma \alpha\pi\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma \tau\eta\varsigma \delta\iota\alpha\lambda\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\acute{\eta}\varsigma \epsilon\sigma\iota\nu \iota\delta\epsilon\iota\nu, \eta \alpha\upsilon\tau\eta\varsigma \delta\lambda\eta\varsigma, \eta \mu\acute{\epsilon}\rho\omicron\upsilon\varsigma \tau\iota\nu\acute{o}\varsigma$ , rectè fecit P. Ramus quoddam pro libertate philosophicâ,



phica, Dialecticam & Logicam sumit pro eodem, quum utraq, versetur ἐν τοῖς λόγοις  
καὶ ἐν τοῖς πράξεσι, sicutus procul dubio Plutarchum, lib. 1. de placitis Philosophorum, ubi ait, Lo-  
gicum, quod dialecticum appellant. Quod ad vocabulum διαλεκτικῆς attinet, no-  
tum est, esse etiam διαλέξιν internam, qua dicitur αὐτὸς ἑωυτὸν, & propria est  
hujus artis.

2. An Dialectica rectè appelletur Ars? Aff.

Tumultuantur hic quidam Logici, & nimis acriter de vero genere Dialectica  
digladiantur, alii aliud statuentes. Sed si ad trutinam veritatis res penitus exami-  
netur, facilis est compositio. Dialecticam artem vocamus, quia systema est prae-  
ceptorum scientificorum, in vita humana utilium. Ita autem sunt scientifica illa prae-  
cepta, ut simul modum nobis ostendant alia systemata componendi, nimirum quo  
ordine utendum, quomodo definiendum, distribuendum, & de rebus propositis judi-  
candum, aded ut ex Aristotelica definitione artis, qua exstat lib. 6. Ethic. cap. 4. etiam  
ars dici queat, utpote qua in ποίσει versatur, ibiq, tanquam instrumentum adhi-  
betur, unde ὄργανον καὶ χεὶρ τῆς φιλοσοφίας ab Arist. dicta est.

3. An ens & non ens sint Dialecticæ subjectum?

Distinguitur.

Dialectica est vel docens, vel utens. Docens est, in qua praecepta disserendi  
traduntur, ex quibus disserendi modum docemur. Utens est, qua ad res applicatur.  
Illa subjectum aliud agnoscit nullum prater hominis rationem, siquidem hanc in re-  
rum cognitione dirigit. Hæc verò ita est comparata, ut tam ad non ens, quàm ad  
ens applicari possit. Ad non ens, ut quando Pontificius disfertationem insituit de pur-  
gatorio, & quando orthodoxus illud nusquam existere demonstrat. Breviter: Dialecti-  
ca objectum habet rationem hominis; Dialecticus verò praecepta artis ad varias res,  
fictas & veras, applicat.

4. An Dialectica rectè distribuatur in Inventionem  
& Judicium? Aff.

Quum Dialectica ars rationis sit, utiq, necesse est, quot rationis sunt officia, tot  
quoq, partes Dialectica esse. Officia autem rationis duo sunt; simplicia apprehendere,  
eademq, apprehensa disponere. Quòd autem quidam tria faciunt; non probamus; quia  
duo tradunt, que sub uno generali comprehendi possunt, ut νόσις καὶ διανόσις sub  
διὰθεσι καὶ διατάξει. Nec obstat nostra sententia, quòd in usu utriusq, tam Inven-  
tionis quàm Judicii actus concurrunt, quum nihilominus ipsa praecepta in sua δειωείη  
singula secundum suas definitiones distincta maneant. Jam verò in Dialectica per  
Inventionem & Judicium intelliguntur praecepta. Deinde quum Dialectica munus  
& officium sit, modum tractandi quaestiones explicare, vel hinc etiam constat, tot de-

bere esse ejus partes, quot questionum genera sunt, quæ ei subjiciuntur. Deprehenduntur autem duo genera, nimirum unum est questionis simplicis, alterum questionis conjunctæ. *Questio simplex* est res una; *conjuncta*, est res composita. Ita quoque notiones Logica, quibus tãquam pulcherrimis *εὐπρεπῶτασι*, hoc est, imaginibus questiones illæ exprimentur, sunt vel simplices, quarum consideratio est in Inventione, vel conjunctæ, quarum tractatio est in Judicio. Unde concludimus tanquam coronidis loco, nihil quicquam posse dari, quod ab hominis animo ad aliud collatum concipitur, cujus in Dialecticâ, & quidem maxime P. Rami, non extet aliqua idea.




PRÆ-



PRÆSIDIS EPIGRAMMA AD DOCTISS.  
DN. RESPONDENTEM.

**P**infere vis artes, dediscas pinfere panes,  
Nam bene non poterit stare utriusq; labor.  
Quem selegisti pergas absolvere cursum;  
Artes dum tractas, consulis ingenio.  
Ingeniumq; colis pulchris virtutibus, instas;  
Nam bene quod cœpit currere, curret opus.  
Hunc ego quando album panem pinso tibi, Pistor,  
Fac nostro possis hoc quoq; pane frui.  
Et sic à tergo te nulla ciconia pinset,  
De Jano veluti Persius autor habet.

Erasm. in  
Chilial. Al-  
bum panem  
pinfere.  
Persius Sa-  
tyrà I.



AD ORNATISSIMUM DN. RESPONDEN-  
TEM *αποφώνημα ποιητικόν.*

**M**Α'κτης *αποφρονέως* ημῖν γλυκὺν ἄρτον ὀπάζει, *ἄλλοις*  
Τῆτον ἐγὼ δὲ τῶν χαιρόντι δὲδῶκεμαι ἄρτον.  
Ἀρπηγλῆς σοφίας νέος ἔτ' ἐχέῃ κελὸν ἔχοντος,  
Καὶ μὴ ὀπιδοπέρω ποδὶ βαίνων καρπὸν αἰξεῖ.  
Εἰς γινώσιν φυσικῆς, λογικῆς εἰς κήπιον ἤλθε  
Καρπὸν ἀαμνήσας βαρύφορτον· Ναὶ πανὺ πλείεσσος  
Νῦν σείχνας σοφίης ζῆλεῖ κ' αὐθῆλια πλεῖς.  
Σπασθῆς ἔμεγεπαι ἀπατήλιον ἐλπίδα, ἔξω.  
Τὼ φυσικῆν, λογικῆν, κυρίως λόγον ἔρφα γινώσκης,  
Τὸν ΔΟΓΟΝ ἀθανάτω δόξης σάλπιγγι γροαίρων.

App. Christophorus Mollerus  
Herbornensis.



ALIUD  
AD DN. RESPONDENTEM.

**U**Tilia, auditu jucundaq<sup>3</sup>, sunt & honesta,  
Pistoris nobis qua dat amica manus.  
Quem non delectet Logica praestantia? quis non  
Gaudeat & Physica cognitione frui?  
Namq<sup>3</sup>, artem physicam commendat origo vetusta:  
Cujus homo primus gnarus Adamus erat.  
Hinc à Judæis fuit omnes sparsa per oras  
Ægypti, hinc Grajos hanc habuisse serunt.  
Hoc studium Grajos noctesq<sup>3</sup>, diesq<sup>3</sup>, fatigat:  
Hinc quoq<sup>3</sup>, Romani nomina magna tenent.  
Hinc Physica studio nunc gens exotica gaudet:  
Non uni populo dat sua dona Deus.  
Ergo facis bene quòd nostris regionibus artem hanc  
Concessam studio sic colis usq<sup>3</sup>, tuo.  
Et quòd cum Physicâ Logicam conjungere pergis,  
Inde tibi magni surget honoris opus.


App. Matthias Butzbach Herbora.

F I N I S.



PRÆSIDIS EPI  
D. N. R. E.

**P** In fere vis arte  
Nam bene  
Quem selegisti per  
Artes dum tra  
Ingeniumq, colis p  
Nam bene quod  
Hunc ego quando a  
Fac nostro poss  
Et sic à tergo te nul  
De Jano veluti



AD ORNATISS  
T E M

**M** Α'κτης αφορον  
Τετον εγω δε νε  
Αρημελης σφιας νε  
Και μη οπιδοπορω τ  
Εις γνωσιν φυσικης,  
Καρπον αυαμνησας β  
Νον παχυας σφιας ζ  
Σπαδης ε μετεπων α  
Τλω φυσικην, λορικην  
Τον ΛΟΓΟΝ αθανάτ

